

Epist. XIX antiquæ legis. Eleganter Augustinus; Apostoli vetera illa sacramenta paululum observando veraciter commendare voluerunt, ne putarentur illa prophetica significationis observationes a piissimis Patribus custodite, tanquam sacrificia diabolica a posteris detestatae. Jam enim cum venisset fides, quæ prius illis observationibus prænunciata, post mortem & resurrectionem Domini revelata est, amiserant tanquam vitam officii sui. Veruntamen sicut defuncta corpora necessariorum officiiis deducenda erant quodammodo ad sepulchrum, nec simulate, sed religiose, non autem deferenda continuo, aut inimicorum obtreccionibus, quasi canum morsibus projicienda. Proinde nunc quisquis Christianorum, quamvis sit ex Iudeis, similiter ea celebrare voluerit, tanquam sopitos cineres eruens, non erit pius deductor vel bajulus corporis, sed impius sepulture violator. Alterum, idque insigne, momentum est in data & inculcata identidem libertatis christianæ regula, quæ posthabito omni discrimine esculenta conceduntur. Præit falli nescius ipse assertor libertatis Matth. XV, 11. Quod ingreditur in eos, non inquinat hominem, sed quod ex ore egreditur; ubi patet non esse de modo sumptionis, vetitus ne ille an licitus sit, ita enim immoderatus cibi potusque usus vitio careret, sed de re ipsa sumpta sermonem, quæ summi in cibum potumque possit ad nutriendum corpus. Inde quippe sibi argumentum constat Servatoris; Quicquid nutrimento seu sustentationi conducit, eo ex se non inquinatur cor humanum; quo autem inquinatur cor, id in corde generatur. Hoc judicium Spiritus, quo per Christum patefacto litera legis cæremonialis abolebatur. Edulia igitur non immunda solum e traditione pharisaica, sed & lege prohibita, & ut in se nunc consideranda, non inquinare amplius poterant hominem, quia intrans in os ad nutriendum corpus nil apportat inquinamenti. Objectum ejus constituitur, quicquid intrare os potest, id est aptum nutrimento seu sustentationi corporis. Immundities e traditione pharisaica non est ipsum objectum. Hieronymus in Mattheum & idolothyta, ut sunt DEI creatura, comedentem non profanare ex sententia Christi recte sentit. Cæterum
quæ